



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Potestati Et Popvlo Florentino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

consuetudinem benedicere, respondit Presbyter memoratus: *Monachus nolo fieri, nec cuculla nomine cucullam suscipio. nulli voto, nulli ordini, nulli professioni me adhuc alligare intendo. Si manebitis hic, vobiscum ero. Aliis in solitudine non manebo.* Post modicum verò tempus, cum idem Episcopus de mandato sedis apostolicæ ad regimen Yporiensis Ecclesiæ rediisset, præfatus Presbyter, cum proposito, ut dicebat, non redeundi ad eremum, secutus est eum, dicens: *Amado in solitudine non teneor remanere: quia cessante causa, cessare debet effectus. Propter vos accessi ad eremum. Vobis discedentibus, amplius non manebo.* Quem cum idem Episcopus monere diligentius & inducere procurasset ut vel in solitudine, ad quam venerat, vel, si mallet, secum familiariter habitaret, ipse multum hæstans & vacillans, ad solitudinem rediit; in qua cum aliquandiu permanisset, vicini Ecclesiæ supradictæ, cui antea præsidebat, quos velut pastor providus verbo nutrierat & exemplo, totis affectibus suum sibi restitui postulare rectorem. Vnde factum est ut ad eandem rediens civitatem, & ibi moram faciens cum præfato Episcopo Vercellensi, ad regimen dictæ Ecclesiæ regredi non præsumit absque licentia sedis apostolicæ speciali. Nos igitur honestis desideriis vicinorum volentes condescendere, ac utilitati ejusdem Ecclesiæ, quæ sub ipsius regimine tam in spiritualibus quam temporalibus valde dicitur profecisse, paterna cupientes sollicitudine providere, per apostolica vobis scripta mandamus quatinus si præmissis veritas suffragatur, eidem Presbytero auctoritate nostra licentiam tribuatis ad eandem Ecclesiam redeundi, ut per ejus industriam & conversationem honestam auctore Domino temporaliter ac spiritualiter suscipere valeat incrementum. Quod si non ambo &c. tu, frater Archiepiscopo, &c. Datum apud Montemfalconem IV. Non. Augusti, anno decimo.

POTESTATI ET POPULO FLORENTINO.

Epist. 101. Soudetur ut monitis sedis apostolicæ & Legati ejusdem acquiescant.

EX apostolicæ servitutis officio, quos sumus sapientibus & insipientibus debitores, & ex gratia speciali quam ad civitatem vestram habemus, indemnitate vestris tam in spiritualibus quam temporalibus paterna sollicitudine præcavere volentes, per litteras nostras & dilecti filij G. sanctæ Mariæ in Porticu Tom. II.

Diaconi Cardinalis universitatem vestram diligentius commonere curavimus ut non ex victoria exaltati, sed potius propter Deum & commonitiones nostras, ad pacis tractatum, quem, antea quam fuisset congressi, mediante nuntio nostro cum Senensibus habuistis, rediretis humiliter & devotè. Vos autem, suggerente eo qui in filios superbiæ dominatur, cui est sollicitudo continua pacis profectibus obviare, nec ad Deum nec ad nos debitum habentes respectum, commonitiones nostras & Cardinalis prædicti, quod dolentes dicimus, pertransistis hæctenus aure surda, non attendentes quòd mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, ut hominem (qui ex suggestione diabolica in tantam se superbiæ dominatur, cui est exaltat quòd deitatis nomen sibi nifus fuerit usurpare juxta suggestionem invisibilis pacis, *Eritis sicut dy, scientes bonum & malum*) reconciliaret patri, non dubitavit manibus tradi nocentum, & in ara crucis, quasi esca sacri corporis sui, præfatum apostatam inimicum pacis in oculis suis capiens pretiosum sanguinem suum fudit, offerens se patri hostiam immaculatam in redemptionem animarum nostrarum. Convertimini igitur, filij karissimi, convertimini, non obturantes aures vestras à voce clamoris Vicarij ejus, dantes gloriam Deo, & apostolicæ sedi devotionem vestram humiliter exhibentes; ne si secus, quod absit, egeritis, & non recipientibus verbum pacis recefferit à vobis Cardinalis prædictus, in testimonium super vos pulverem pedum suorum excutiat, & sequatur quod consequenter in evangelio legitur: *Tolerabilius erit Sodomæ & Gomorræ quàm illi civitati.* Quocirca universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, obsecrantes per asperionem sanguinis Iesu Christi & adventum ejus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatinus humiliemini sub potenti manu Domini, qui superbis resistit & humilibus gratiam largitur, & secundum quòd vobis per alia scripta mandavimus, monitis & consiliis nostris acquiescat omnino: quia tunc victores vos veriùs cognoscetis, cum carnalibus motibus resistentes, in victoria cesseritis soli Deo, cum melior sit sapiens viro forti, & qui dominatur animo, expugnatore urbium. Datum apud Montemfalconem II. Non. Augusti, anno decimo.